

www.e-rara.ch

In Sacrosanctum Daudis Psalterium Commentarii

Musculus, Wolfgang

Basileae, Anno M.D.LXIII. [1563]

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-110981>

Psalmus LXXXI.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

A Cur ista pollicetur? Quia antea à Deo recesserant, & deos alienos coluerant, qua impietate iram Dei contra se exasperauerat, unde omnis illa calamitas acciderat. Agnoscit hoc Propheta, ideoque ut ueram Israelis resipiscenciam polliceatur, ista promittit. Nam ea demum uera resipiscencia est, si à delictis, quibus iram Dei prouocauimus, abstinemus. Est igitur in uera fide & inuocatione Dei, situs uerus cultus Dei: sicuti contra in perfidia & inuocatione alienorum deorum, defectio à Deo, & idololatriæ impietas consistit.

Dominus Deus exercituum.) Hic uersus suprà tractatus est.

Versus.

PSALMVS LXXXI

AD PRAECINENDVM SVPER

Torculari, psalmus Asaph.

Argumentum Psalmi.

Conspicuum est ex initio psalmi, Prophetam hortari Israel, uel magis adhortationem hanc in ora populi, cum inter se mutuum, tum ad eos dare, quorum officium erat diebus festis, praecipue in neomenijs, & singulariter in festo tubarum, de quo Num. 10. & 29. tubis ad holocausta & uictimas pacificas clangere, ut cum exultatione Deo fortitudini ipsorum, tubis, tympano, psalterio & cithara insonarent. Deinde simul Deum inducit populum suum alloquentem & contestantem. Et haec sunt duae principales psalmi huius partes. Quae utrisque insint, suis locis uidebimus.

Prima pars psalmi quinq; priores uersus habet.

Exultate Deo fortitudini nostrae, iubilate Deo Iacob. 1
Sumite psalmum, & date tympanum, citharam suauem cum psalterio. 2
Clangite tuba in neomenia, in insigni die solennitatis nostrae. 3
Quia statutum Israeli est, & legitimum Deo Iacob. 4
Testimonium in Ioseph posuit illud, cum egressus esset e terra Aegypti, ubi linguam, quam non noueram, audiebam. 5

Solenn. nostrae.) Ebr. יָמֵינוּ. Græc. & uulg. Latin. legunt, Solenn. uestrae.

LECTIO.

Ubi linguam quam non noueram, audiebam.) Ebr. וְלִשְׁנִי אֲשֶׁר לֹא יָדַעְתִּי. Græc. & uulg. Lat. & Arabs,

Vers. 3.

B in tertia persona legunt, Linguam quam non nouerat, audiuit.

Vers. 5.

Primus uersus mutuam habet adhortationem ad gaudendum & exultandum. Exultate, inquit, & iubilate. Deinde, quoniam plurimum refert, unde & qua in re sit gaudium, & ad quem finem tendat, non simpliciter dicit, Exultate & iubilate: sed addit, Deo. Qui sibi ipsi gaudet, & ex carnis affectibus in rebus carnalibus exultat, carnaliter exultat, & inani prorsus & peritura afficitur lætitia. At hoc non est gaudium populi Dei, sed filiorum huius seculi. Qui uero in Deo, propter Deum, & ad gloriam Dei exultat, is demum pio, solido & constanti gaudio exultat. Admonet igitur populum Dei spiritus sanctus, ut nulla alia in re, quam in Deo suo: nec alio fine, quam ad gloriam Dei exulter.

EXPLANATIO.

Ociosum autem non est, quod dicunt, Deo fortitudini nostrae, & Deo Iacob. Nam ueluti rationes assignant, quare exultandum sit Israeli in Deo. Primum, ob id quod sit Deus Iacob, id est, patrum ipsorum. Deinde, quod sit ipsorum fortitudo. Hoc est, quod quicquid roboris ipsis unquam fuerit, aut futurum sit, totum sit ex ipso Deo suo, qui ipsos e durissima seruitute eripuerit, & toties contra inimicos tutatus sit, ac porro eripere tutarique possit. Ergo inculcat illis spiritus sanctus, ut in Deo suo, qui non sit recens aliquis, sed patrum ipsorum Deus: nec infirmus ac desertor populi sui, sed fortis, à quo toties sint summa cum potentia asserti, gaudeant, imò exultent. Certè qui hoc facere possunt, tam absunt ab eo, ut mutare cupiant Deum suum, uel aliqua erga ipsum sint diffidentia, ut hoc solo se foelices esse iudicent, quod hunc Deum sortiti sint Seruatorem ac protectorem. Ad huiusmodi gaudium autem cum primis opus est cognitione, cum propria infirmitatis & miseriae, tum potentiae ac bonitatis Dei. Alioqui, qui nec se ipsum, nec Deum rectè cognoscit, quomodo lætabitur ob id quod talem ac tantum sortitus sit Deum?

Notandum simul est, quod ibi ad exultandum sese mutuò, nominatim in Deo patrio adhortantur, eum adducunt ex patribus, qui sit ex patriarchis. de cuius religione, fide ac integritate colendi Deum constet, nempe Iacobum, non uiciniores ex maioribus, de quibus scriptura toties meminit, quod relicto uero Deo, alienos sectati sint. In his non habebat locum, in Iacob uero habebat, quod uulgo iactatur, Seruamus religionem maiorum nostrorum. Ad hunc modum & nobis hodie faciendum est. Vrgent aduersarij ueritatis, seruandam esse fidem maiorum. Bene sed eorum, de quorum religione ac pietate constat, quod uerum Deum uero ac sincero cultu & fide sana coluerint, ut sunt Apostoli: de quorum religione multi hodie uerbis magis, quam re ipsa gloriantur, dum perpetuò Apostolicam ecclesiam ore uolunt, cum Papisticam mente intelligant.

Tertiò, gaudij huius significationem exprimunt, cum dicunt, Sumite psalmum, date tympanum, citharam suauem cum psalterio, clangite tuba. Hoc est: Quouis modo, & quouis mulicorum in-

Vers. 2.

strumentorum genere declarate cordium uestrorum gaudium, quo in Deo nostro quisque afficitur. De instrumentis istis musicis, quæ non ad libidinem & carnalem aurium delectationem, sed ad laudem Dei & spiritualis gaudij significationem simul & excitationem à sanctis uiris usurpata sunt, uidere est 1. Paral. 16. & 25. Vñ istorum postea carni magis quam spiritui seruiuit, de quo est Amos 6. Sicut Dauid, inquit, Putauerunt se habere instrumenta cantici, bibentes uinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph.

Vers. 3. Quarto, adiungunt etiam uers. 3. quando præcipue declaranda fuerit ipsa cordis exultatio. In neomenia, inquit, in insigni die solennitatis nostræ. Certos per annum festos dies Israeli præscripsit Deus. Habebant singuli suas rationes, ob quas in omnibus exultandum erat: uno dempto, qui expiationi deputatus erat, in quo omni animæ erat assumenda afflictio, Leuit. 23. Nunc uero noui Testamenti tempore, in quo locum non habent legales umbræ, propter corporis illarum ueritatem, quæ Christus est, fidelibus dicitur, Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete. Nam hic iuxta dictum Esaie ultimo, mensis est ex mense, & sabbathum ex sabbatho.

Vers. 4. 5. Quinto, uers. 4. & 5. adhortationis huius rationem reddunt, dicentes: Quia statutum Israeli est, & legitimum Deo Iacob. Testimoniū in Ioseph posuit illud, cum egressus esset ex terra Aegypti. Ratio hæc nititur duobus. Primum, eo quod ita diuinitus statutum sit Israeli: deinde, eo quod ritus hic, Deo sit legitimus, non quem Deus seruet, sed qui illi seruetur, ad gloriam uidelicet nominis eius. Cauendum autem, ne statuta ista in nouo Testamento locum habere putentur. Nam, ut dixi, umbræ fuerunt, quæ ueritatis aduentu erant abolendæ. Vide Colossens. secundo: Nemo uos, inquit, iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi, &c.

Cum egressus esset ex terra Aegypti. Notanter posita est hæc particula. Neque enim tempus tantum statuti & testimoniij huius, sed & gaudij huius causam exprimit, animi uidelicet gratitudinē propter liberationem & egressionem à seruitute Aegypti. Egressis ex Aegypto præcepta sunt hæc dierum festorum gaudia, ut liberati iam indebita animi gratitudine exercerentur. Ita nobis qui è regno satanæ liberati sumus, iuge illud eucharistiæ sacrificium præceptum est.

Illud, Vbi linguam, quam non noueram, audiebam, bifariam exponitur: uel de lingua Aegyptiorum Israeli primum incognita, quo sensu legendum est, Audieram, non Audiebam. Vel de lingua Dei, quam in monte Sinai ex Aegyptoeducti, antea incognitam audierunt. Et hic posterior sensus mihi magis arridet. Quæ namque poterit esse ratio, cur hoc loco Propheta Aegyptiacæ lingue mentionem facere uoluerit? Quod uero populo suo Deus loquutus est, & mortales uocem Dei uiuentis audierunt, magna erat ratio, cur addendi isto statuto ponderis gratia commemoraretur, quod & Moses Deut. 4. fecisse legitur, dicens: Loquutus est uobis Dominus de medio ignis, uocem uerborum eius audistis. Linguam hanc Dei non nouerant Israelitæ. Hoc est, erat illis infolens audire uocem Dei, cuius nulla hætenus fuerat consuetudo, quapropter illam etiam porro audire detrectabant, petentes, ut quæ Deus loqueretur, per Moysen audirent.

Notandum est etiam hoc, quod in singulari dicunt: Linguam, quam non noueram, audiebam. Exemplū unitatis est in populo Dei, idque non solū, quod ad præsentem, sed & maiores attinet. Nā hi certè, quibus hic psalmus datus est, uocē illam Dei in monte Sinai non audierunt, audierunt uero ipsorum maiores. Vnum est corpus populi Dei: in quo non unius tantū, sed & omnium temporum fideles comprehenduntur. Ita infra inducetur Deus, ut dicat: Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te ex terra Aegypti: cum non illos, sed maiores ipsorum ex Aegypto eduxerit.

ALTERA PARS PSALMI,

reliquos uersus omnes complectens.

6 Amoui ab onere humerum eius, manus eius à furno recesserunt.

7 In tribulatione clamasti, & liberaui te: respondi tibi in abscondito tonitruum, probaui te apud aquam contradictionis. Selah.

LECTIO. Amoui.) Græc. & uulg. Lat. & Arabs, in tertia persona legunt, Diuertit. Pagninus, Amouere feci.

Vers. 6. Manus eius à furno recesserunt.) Græc. & uulg. Lat. Manus eius in cophino seruierunt. Hieronymus, Manus eius à cophino recesserunt. Pagninus, Manus eius ab aheno transierunt.

Vers. 7. In abscondito tonitruum.) Symmachus: Exaudiui te per absconditum tonitruum. Græc. & uulg. Lat. In abscondito tempestatis.

EXPLA. Hæc est altera psalmi pars, quæ à uersu sexto, ad finem usque psalmi, Deum inducit populum suum, ueluti paterno alloquio conuenientem, deque beneficijs suis & propensa in ipsum beneuolentia, deinde & illius uicissim pertinacia, & incredulitate simul, & merita perditione contestantem: qua formula Propheta, ea quorum populum respicientiæ gratia admonitum uoluit, animis illorum ita conatus est infigere, ac si coram à Deo ipso conuenirentur, illorumque admonerentur.

Versu sexto uidetur Deus ueluti secū tacitus loqui, sicuti solent qui beneficiorū obliuionem, & huius filiam ingratitudinem, cuius obiecturi, primum penes seiplos molesto animo uolunt, quæ mox sunt ingratum opprobriari. Ita inquit uidetur Deus ista tacitus secū immurmurare: Amoui ab onere humerū eius, manus eius à furno recesserunt. quasi dicat, Miser erat & miserè afflictus populus meus. Misertus illius sum, liberauique afflictū à durissima illa seruitute. At liberatus, pristina

pristinæ miseriæ penitus oblitus est, nullamq; amplius rationem mei habere iustiniuit. Verum iam liber est ab oneribus illis, nec amplius furni molestiam norunt manus eius. Talia uidentur mihi esse, quæ hoc uersu Deo dantur. De oneribus Israel per Aegyptios impositis historia consulenda est Exod. 1. Adscriptio illa durauit annos quadringentos, quæ iam antea diuinitus erat præfinita. & Genes. 15. ipsi Abrahæ prædicta. Ratio illius in promptu est. uoluit enim ad hunc modum Deus exercere primum populum suum in tribulationibus, antequam eum in terram promissam induceret. Et præterea iniquitates Amorrhæorum nondum fuerant eam assequutæ maturitatem, ut illis expulsis, Israel in terram eorum induceretur. Consimili modo filij Dei multis tribulationibus in hoc seculo erudiuntur, antequam in cœlestem patriam inducantur. Et impietas mundi huius primum suam assequi plenitudinem & maturitatem debet, antequam dies liberationis adueniat.

Interea tamē in
ipsa tribulatio-
ne uirtute sua il-
lis adfuit.
Genes. 15.

Verſu ſeptimo per apoſtrophē Deus populū ſuū alloquitur, primumq; illum tribulatio-
nis & adſcriptionis eius admonet, quā paſſus fuerat in Aegypto. In tribulatione, inquit, clamaſti. Pſal. 49.
Commemoratione clamoris magnitudinem ac diuturnitatem tribulationis notat. Quomodo
clamauerint oppreſſi, uidere eſt Exodi ſecundo.

Non est autem præter rationem, quòd antequam liberationis mentionem faciat, primum eos admonet in quantis fuerint tribulationibus, quamq; acerbum seruitutis sensum sint experti, & quotidiano clamore testati. Nequit enim dulcis esse liberationis commemoratio, si tribulationis & adflictionis admissa fuerit obliuio. Et hæc causa est, ob quam toties in scripturis Israeli Aegyptum & seruitutem durissimam, & fornacem ferream memoriæ gratia refricari legimus.

Et liberaui te.) Liberationis uerbo omnem illam memorabilem percussę diuinitus Aegypti, submersiq; Pharaonis historiam complectitur, cuius opus fuit, liberatio populi tribulati, & in tribulatione clamantis. Non est autem ociosa commemoratio ista liberationis. Abutebantur illa Israelitę, contra eum rebelles, per quem fuerant liberati. Ideo non dixit, Et liberatus es: sed, Et liberaui te, ut simul admoneret ingratos, beneficium hoc liberationis sibi deberi, ideoq; absurdiss. esse, quod huius obliti, à se deficerent, & deos alienos sectarentur. Alioqui ingenui animi est, haud facile præstitum cuiquam obijcere beneficium: & ijs qui animo sunt honesto præditi, nihil potest accidere molestius. Sentiunt enim sibi hoc pacto notam ingritudinis iniuri.

Respondi tibi.) Clamanti uidelicet. Admonet hac particula beneuolentiæ eius, qua clamorem oppressorum benignius exaudiunt, & opẽ laturus clamantibus respondit. Exaudisse Deum clamorẽ populi sui, Exod. 2. & 3. legitur. Hic uerò se non solũ exaudisse populi sui clamorẽ, sed & clamanti respondisse dicit: id quod affectũ paternũ respicit. Potest hic quærì, quomodo dicat se respõdissẽ clamori Israelitarũ, cũ non legantur ad ipsum clamasse: Clamasse illos legimus, ad Deũ uerò clamasse nõ legimus. Nec dicit hic, In tribulatione clamaſti ad me: sed simpliciter, In tribulatione clamaſti. Ingemuerũt & clamauerunt à facie eorũ, per quos premebãtur. uerũm hoc solẽt quicunq; adſcripti: ad Deũ uerò clamare, & opẽ eius implorare nõ solent uniuersi adſcripti. Notandum est ergo huius & similium locorũ gratia, ad Deum clamari dupliciter. Vno modo, ab illis qui in tribulatione ad ipsum tanquã unicum Seruatorem confugiũt. Sic Dauid: Ad Dominum inquit, cum tribularer, clamaui, & exaudivit me. Et alibi: Quoniã clamaui ad me, exaudiam eum: cũ ipso in tribulatione, eripia eum, &c. Alio modo, ab illis qui simpliciter ingemiscũt & clamant adſcripti & oppressi, & in quacunq; necessitate constituti, etiamsi animus eorum ad Deum non confugiat. Horum quoque clamor ad Deum ascendit, tanquã omnium conseruatorem. Sic de coruis dicit Dauid, quod clamantes cibum à Deo accipiant, psal. 147. Ita solet clamor etiam infantium penetrare paternum animũ. Et sanguis Abel occisi ad Deum clamaui, clamadoq; exauditus est. Proinde mirum non est, quod Israelitarũ clamori Deus respondisse se dicit, etiamsi non legantur ad eum nominatim clamasse. De pijs nemini dubium est, quin ex animo ad Deum clamauerint.

in abscondito tonitruui.) Particula hæc obscura est, atq; ideo & uariè exposita. Kimhi Ebr. sic expo-
nit: Tu clamasti ad me absconditè, ego uerò palàm tibi tonitru, uidelicet respondi. Deinde & alià
expositionem, quam quorundà esse dicit, nempe hanc: Respondi tibi tonitru à te absconso, cum
Aegyptios horridissima tempestate adobruerem. Quidam ex recentioribus cum Hieronymo
exponunt de adflictione, quam pafsi sunt Israelitæ in Aegypto, quam putant hic tempestatem
uocari, qua fuerit Israel tectus & adobrutus: ut idem sit, quod initio uersus tribulationem uoca-
uit. Basilius uerò tonitruui dictionem intelligit de tempestate, qua percussa est Aegyptus: & illud,
In abscondito, refert ad Deum ipsum, qui se hic absconditum uocet. Sic enim annotat, *ἐν ὑγρῷ ἀβυσ-
σοῦ ἡχοῦ τοῦ θύου, ἡ ἀνάστυξ ὡς ἐν ἡλίου σφωδρῶς πινέειναι, οἷον τινι βροντῇ τὰς ἡμέρας τῶν ἀγνῶστων πινέειναι
τοῦ ἡχοῦ τοῦ πινέειν ἐν ὑγρῷ.* Cum hoc etiam nonnulli ex recentioribus sentiunt. Mihi uidentur
istà simpliciter hoc loco dici. Primum, Deū per tonitrua Israelis respondisse clamori, hoc est, iram
suam contra Aegyptios declarasse, atq; hoc ueluti fremitu improbitatem illorum increpasse. qua
de re uidere est Exod. 9. in descriptione septimæ plagæ. Sic Dauid aliquoties tonitrua uocē Dei
in nubibus tonantis, & increpationē aduersus impios uocat. Deinde Aegyptios non intellexis-
se tonitrua illa, esse responsum Dei ad clamorem Israelis cœlitus detonantis. Discamus ergo, quò
loco tonitrua nobis esse debeant, utut ratio illorum filijs huius seculi sit abscondita. Respondet
oppressis & ad se ingemiscētibus & clamantibus Deus, quādo uel terræ motibus, uel horrendis
tempestatibus

tempestatibus iram suam contra impios declarat. Habet interea mundus iste seductores suos, qui ut iræ cœlestis argumenta obscurant, naturales causas comminiscuntur, quibus illa tribuant.

Probavi te apud aquam contradictionis.) Notatur historia, quæ legitur Num. 20. Nam ibi præcipue declararunt Israelitæ, quàm nulla fuerint erga Deum fide. Tot ac tanta miracula cum in Aegypto, tum in mari rubro, & in deserto postea uiderant: & nihilominus cū in deserto Sin anno post liberationem ex Aegypto propè quadragesimo, sicuti in catalogo mansionum Numer. 33. uidere est, aquæ penuria iterum tentarentur, mota aduersus Moysen & Aaronem seditione, cōtra Deum impatientissimè murmurarunt: licet sub egressum ex Aegypto in Raphidim magno miraculo aquam sibi à Petra dari uidissent. Et hæc tentatio tāta fuit, ut & Moyses & Aaron illius gratia ab ingressu terræ Cœnaā prohibiti esse legantur. Cum ergo eorum sit, qui diuino beneficio ex afflictionibus liberantur, sincera esse erga Deum liberatorem suum fide & dilectione, nec de bonitate illius in quantacunque tentatione dubitare, rectè post commemorationem liberationis particulam hanc subiecit. Q. d. Tu uerò quamuis è dura illa seruitute Aegypti per me liberatus sis, nulla tamen unquam erga me fidei sinceritate præditus fuisti, cuius experimentum præter alia, etiam ad aquas contradictionis omnium euidentissimum dedisti.

1 Quod penuriam aquarum quam passi sunt Israelitæ, probationem uocat, documento nobis esse debet, quo loco habendum sit, siquādo & nos necessariarū rerum penuria adobruamur. Quod 2 uerò ex omnibus tentationibus eam producit, quæ inter postremas post tot ac tanta miracula de Israelis incredulitate omnium certissimè testata est, huc nobis ualeat, ut discamus, ea demum esse certa incredulitatis experimenta, quæ non semel atque iterum, nec initio tantum declaratz diuinitus ueritatis, sed multoties & post diuinam illius declarationem capiuntur. Nemo ergo fratrem unius & alterius tentationis gratia incredulitatis damnet, cum uideamus Deum ipsum, cui ante omnia experimenta omnia omnium mortalium sunt notissima, toties certis tentationibus populi sui probasse perfidiam.

8 Audi popule meus, & contestabor te Israel, si audieris me.

9 Non erit in te Deus alienus, neque adorabis Deum extraneum.

10 Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: dilata os tuum, & implebo illud.

LECTIO. Deus alienus.) Græca & uulgata Latina, Deus recens.

Verf. 9. Contestaturus populum suum Deus, primū exigat ut audiat. Nec immerito. Primū enim,

EXPLA- quid magis competit populo Dei, quàm ut Deum suū audiat? Deinde, quando attentius audien-

NATIO. dus est Deus, quàm quando non simpliciter loquitur cū populo suo, sed hunc etiam contestatur:

Audi popule meus. Notanda est autē simul benignitas cōpellationis huius. Poterat dicere: Audite rebelles, audite in-

mens. creduli ac perfidi, audite ingrati, audite perditī & execrandi, audi generatio praua & peruersa. Nihil horum, sed benignè ac blandiusculè: Audi, inquit, popule meus. Agnoscit eos adhuc esse popu-

Et contesta- lum suum, eaq; appellatione admodum placida & benigna, ut resipiscant, conuenit & compellat.

borte. Et contesta- Habet hæc particula aliquid seueritatis, sed necessariæ. Est autem contestari

aliquem, conscientiam ipsius ita conuenire, & quæ uel uitanda sunt, uel facienda inculcare: ut simul præmoneatur, quid emolumenti capturus, si obediat: quidq; dāni passurus sit, si obedientiam detrectet. Ratio huius est, ut omnis in posterum inobedientiæ excusatio adimatur immo-

geris, ob quam causam hic conueniendi ac præmonendi modus contestatio uocatur.

Sunt ergo duæ contestationis partes. Vna, qua quæ uitanda sint, uetantur: & quæ facienda præcipiuntur. Altera, qua utriusque tam obedientiæ, quàm inobedientiæ finis ac fructus præ-

dicatur quas utrasque consequenter uidebimus.

Non caret autem ratione, quod contestatione hac Deus erga populum suum utitur. Hac de re uide supra psalm. 50. uers. 7.

Si audieris me. Israel si audieris me.) Pertinet hoc ad primam contestationis partem. Si audieris me, inquit. Em-

phasis est in pronomine Me. Si me audieris. hoc est: Si mihi soli, non alijs quibuscunq; obedire,

& meæ uoluntati, non tuæ uel aliorum quorumlibet, obsequi, uereq; meus esse populus uolue-

ris. Deinde non loquitur simpliciter de illo auditu, quo præcepta plerūq; ab immorigeris etiam,

uerū corporis tantum, non mentis auribus, sine iusta ac debita obedientia audiuntur, ad quem

modum Iudæi, legem Dei tot seculis sine fructu, imò magis ad condemnationem audierunt, sed

de uero & obedienti auditu. Innuitur ergo hac particula, & solum audiendum esse Deum, tan-

quam unicum nostrum, & Dominum ac præceptorem: & audiendum non utrumque corporeis

auribus, sed auribus mentis, ad obediendum paratæ. Quàm autem hic auditus omnibus sacrifi-

cijs & holocaustis præferatur, & inobedientia idololatriæ comparetur, uidere est i. Sam. 15. in

uerbis Samuelis Saulem corripientis. Tale quid & psalmo quadragesimo legitur: Sacrificium, in-

quit, & oblationem nolui, aures autem aperuisti mihi, &c.

Vanum itaq; est, quod cū Iudæi, tum Turcæ, tum pseudochristiani de auditu Dei gloriatur.

Ioann. 8. Est enim omnino uerū, quod Christus dicit: Qui ex Deo est, uerba Dei audit. Propterea uos non

Matth. 3. 17. auditis, quia ex Deo non estis. Et Deum certè non audiunt, qui filium eius unicū nobis uitæ do-

ctorem ac præceptorem cœlitus à patre designatum, audire contēnunt. Hunc autem non solum

Iudæi &

A Iudæi & Turcæ non audiunt, sed & pseudochristiani illi, qui magis humanis constitutionibus, quam uerbis ipsius obsequuntur, & magisteria humanæ uel sapientiæ, uel temeritatis magisterio ipsius præferunt, ut ut clamitent se quoque audire Euangelion Christi.

Non erit in te Deus alienus, neque adorabis Deum extraneum. Ita alienorum deorum interdictio, primum præceptum complectitur in Decalogo, de quo uide Exod. 20. & Deut. 5. Est autem Deus alienus, quicquid uel præter uel iuxta uerum & unum Deum colitur & inuocatur. Non quod plures sint reuera dii, cum unus tantum sit: sed quod errore & perfidia mortalium pro dijs colantur, qui dii non sunt. Non est autem præter rationem, quod hoc præceptum primo loco in tabulis fœderis positum est. Est enim caput fœderis, ut fides Deo seruetur illibata: qua rupta, rupta & irrita sunt omnia. Deinde, ingenium populi huius pronum erat ad defectionem & cultum alienorum deorum, ad quod etiam assuefactio illa in Aegypto contracta accedebat. His rationibus opus fuit mox initio præcipere, ne ad deos alienos deficerent: id quod nihil erat aliud, quam ut fidem sibi soli firmam & integram seruarent. Perinde atque si scortum loco coniugis ex ipso prostibulo ducas, illique ante omnia præcipias, ut abiectis pristinis moribus, illibatam tibi coniugij fidem seruet. Nisi enim hoc faciat, certo certius ad alios uiros deficiet, adulteriumque committet. Deinde, ut eo ingenio est maritus, legitimus, ac coniugis suæ honestè amans, ut riualem ferre nesciat, cum interea scortatores facile in scortis ferant, ut & alios admittant: ita & Deus ille uerus & solus, populi sui maritus ac Dominus, nullo pacto ferre potest, ut iuxta se alieni habeantur & colantur dii. Est enim æmulator. At falsi dii consortes cultus facillimè ferunt: id quod totius orbis superstitio & impietas cum in Iudæis, tum gentibus, tum pseudochristianis idololatriis abundè testata est. Cum ergo primum hoc sit, & principale præceptum in tabulis fœderis, quo fides illa omnis pietatis fons, & retinaculum fœderis comprehenditur, ne deos alienos habeat populus Dei: factum est, ut solum hoc loco sit positum. Potest autem hic quæri, an discriminis aliquid sit, inter Deum alienum esse in populo Dei, & adorare extraneum Deum. Potest uideri idem bis esse dictum. Verum mihi uidetur præcipi, ut nec inter se Deum aliquem alienum habeant, hoc est, ut nullo loco terræ habitationis suæ ferant aliquem obtineri alieni Dei cultum: sed mox atque intellexerint tale quid institui, summo serio eum locum evertant, & malum è medio sui tollant. Vide Deuteronom. decimotertio. nec extraneum aliquem alterius cuiuspiam gentis Deum adorent, id quod Ochozias rex Israelis fecisse legitur, secundo Regum primo. Quemadmodum enim legitimus maritus ferre nequit, ut uxor ipsius, uel domi, uel extrà scortetur: ita exigit à populo suo Deus, ut nec in terra sua haberent alienos Deos, nec extraneos aliarum gentium adorarent.

Ego sum Dominus Deus tuus. Hæc est ratio, cur non debeat populus Dei alienos habere deos. Primum, quia ego sum יהוה, inquit. Viuens ille & solus existens, unde omnia habent ut sint. Deinde, quia Deus tuus sum. Emphasis est in pronomine, Ego. Ego sum solus, inquit, & Dominus & Deus tuus, ut nec liceat tibi alienis dijs iungi, nec opus etiam sit, ut alienos deos quæras, cum tibi abundè in omnibus sufficiam. Quid sit autem esse Deum alicuius, uide supra psalmo uigesimo secundo, uersu decimo.

Qui eduxi te de terra Aegypti. Hoc est: Qui re ipsa ostendi, quod sim Dominus Deus tuus, qui te ad hoc è domo seruitutis liberaui, ut meus esses, mihi que uni adhereres. Deuteronomij quarto: Interroga, inquit, de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die quo creauit Deus hominem super terram, & cæter. an fecerit Deus aliquis rem hanc, ut ingrederetur & tolleretur sibi gentem de medio nationum per tentationes, signa atque portenta, ac robustam manum, extensumque brachium, & horribiles uisiones, iuxta omnia quæ fecit pro nobis Dominus Deus noster in Aegypto uidentibus oculis tuis, ut scires quod Dominus ipse sit Deus, & non sit alius præter ipsum. Item: Vos autem, inquit, tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea Aegypti, ut haberet populum hereditarium, sicut est in præsentis die. Poterat Deus populum suum in ipsa terra Cnaan à temporibus Abraham, & consequenter retinere ac multiplicare. Verum hoc pacto declarandum erat, se unum ac uerum esse Deum. Et Deuteronomij trigesimo secundo inquit: Dominus solus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus. quasi dicat: Non habuit opus aliquo adiutore. Solus sufficiens ad eripiendum ac liberandum populum suum fuit. Quæ itaque fuerit necessitas, ut alienos deos quærant, qui hunc uerum & unum Deum habent?

Dilata os tuum, & implebo illud. Potest illud, Et implebo illud, intelligi de laude & assequiis, qua diuinitus exauditi & adiuti bonitatem Dei celebrant & extollunt, sicut psalm. 71. dicit: Repleatur os meum laude. & psalmo centesimo uigesimo sexto: Repletum est gaudio os nostrum. Ita namque replentur ora adflictorum laude Dei, si diuinitus adiuuentur. Sic psalmo 50. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me.

Pertinet autem hoc ad alteram contestationis partem, qua promittitur maximum emolumentum, si fides integra seruetur, nec alieni dii adorentur. Offert se paratum in omnia, quamuis multa & magna. Nihil, inquit, negabo necessitatibus tuis. Pete bona cum fiducia quæ necessaria sunt, non deero precibus tuis. Non dicit simpliciter, Pete: sed, Dilata os tuum. id est, Multa & magna pleno ore pete. Nec dicit, Et dabo: sed, Et implebo illud: id est, Abundè dabo, & usque adeo sufficienter, ut nihil possis desiderare amplius.

Locus hic

Non erit in te
Deus alienus.

Deut. 5.
Exod. 20.

Et Num. 15. Ego
Dominus Deus
uester, qui edu-
xi uos de terra
Aegypti, ut es-
sem Deus uester.

LUC. 11. Locus hic planè infigais est. Non dicit, Si petieris, si inuocaueris: sed iubet petere. Deinde, iubet non modicè aut parcè, sicut solent diffidentes, sed plena cum fiducia, multa & magna à se petere. Tertiò promittit, quòd uelit largiter dare ac sufficienter, quæ petantur. Ecce quæ fiducia erga Deum competat illis, qui integra fide uni ac soli, spretis dijs alienis, adhærēt. Verùm quoniam in fide deficiamus, sit ut omnium ægerrimè ac parcissimè diuinam imploremus benignitatem.

Notanda itaque hic est nunquam satis expensa Dei erga populum suum bonitas, cuius ingenium pulcherrimè his tribus ueluti notis declaratur, quod iubet se inuocare ac petere, idq. pleno ore: & tam largiter daturum se pollicetur, quæ petantur. Bonitatis ingenium inter mortales hæcenus forsan deprehenditur, si sit qui petentibus adflicto, quæ necessaria sunt, non neget. At hic ea est bonitatis abundantia, ut iubeamur etiam petere, non modica, sed magna & multa, animemurq. ad petendum tam diuite pollicitatione. Hanc nobis Christus refricat **LUC. 11.** cum dicit: Et ego dico uobis, Petite, & accipietis. Et Iacobus cap. 1. Si quis autem uestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non impropere, & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans.

11 Et non audiuit populus meus uocem meam, & Israel noluit me.

12 Et dimisi eos in obstinatione cordis eorum, in consilijs suis ambularunt.

LECTIO. Et Israel noluit me.) Græc. & uulg. Lat. Non intendit mihi. Hieron. Non credidit mihi. Pagn. Noluit mihi obtemperare.

Verf. 11. In obstinatione cordis eorum.) Græc. *καὶ τὰ ἰσχυρὰ ἡσυχάζα.* Vulgata Latina, Secundum desideria cordis eorum. Et Symmach. Placito cordis eorum. Hieron. In prauitate cordis sui. Pagn. In fortitudine cordis eorum.

EXPLANATIO. Quòd ad perfectionem contestationis addendum erat, nempe: Si uerò me non audieris, sed alienos deos sectatus fueris, dimittam te in obstinatione cordis tui, ut ambules in consilijs tuis, id hoc pacto duobus istis uersibus absoluit, ut secum tacitus de populi sui inobedientia & obstinatione queratur. & quemadmodum contestationem hanc tacitus secum immurmurando ceperat, ita hanc eadem conquerendi & immurmurandi ratione perficit, dicens: Et non audiuit populus meus uocem meam, &c.

Populus meus.) Adhuc uocat inobedientes ac perfidos populum suum & Israel, cum illi nec quæ populi Dei sunt præstarent, nec Israelis patriarchæ sui uestigijs ingrederentur, planè à generis sui origine, & sancta illa radice degenerassent. Ideo hæc nomina tam absunt ut isti populo honoris ac prærogatiuæ aliquid attulerint, ut multo magis ad condemnationem illius fecerint. Ita & de nobis sentiendum est, qui Christiani & ecclesia Christi uocamur, cum rarissimus quisque sit, qui uocabulis istis respondeat.

Non audiuit uocem meam.) Iterum non de auditu aurium loquitur, sed de uera illa obedientia, quæ à Deo dicuntur, bona fide & audiuntur & præstantur: ut nihil sit aliud, non audisse Israel uocem Dei, quàm rupto fœdere ad alienos deos defecisse, & contra legem Dei sui rebellasse.

Et Israel noluit me.) Hoc est, non dilexit me, non adhæsit mihi ex animo, cor eius longè fuit à me, utut ore suo mihi appropinquauerit. Rectè hoc adiungitur. Nam hæc est ueluti radix quædam inobedientiæ ac defectionis à Deo, non complecti ex animo Deum. Quemadmodum enim mulier maritum suum non diligens, nulla in re satis illi morigera est, sed perpetua peruicacia perfidiam suam declarat: ita & is populus comparatus est, qui corde erga Deum non est sincero, sed sinistro. Quid poterit autem impium magis cogitari, quàm nolle eum Deum, cuius & beneficiis innumeris modis potitus, & fœderis symbolo obfignatus: sed corde ad eos propendere, qui nec dii sunt, nec qua in re succurrere poterunt, nec potuerunt unquam? Nihil potest hic aliud esse in causa, quàm carnis nostræ corruptio & peruersitas. Quemadmodum enim peruersum adulteræ mulieris ingenium non in eo deprehenditur, si maritum durum, inhumanum, perfidum, & thoro coniugali ineptum non amet: sed si eum contemnat, quem habeat mansuetum, humanum, fidelem, & iura coniugij probè seruantem, & ab illo ad alios deformes, turpes, ac infideles deficiat: ita & hoc loco, carnis nostræ perfidum & peruersum ingenium, in eo euidentissimè deprehenditur, quòd Deum uerum nostrum ac unicum omnipotentem, fidelissimum & optimum fastidientes, ad falsos, alienos, infirmos, perfidos & pessimos deficiamus.

Verf. 12. Et dimisi eos.) Hoc est, repudiaui eos, omnem meam prouidentiam illis ademi. In obstinatione, inquit, cordis eorum. Hæc uidelicet dimissionis causa erat. In consilijs suis ambularunt. Potest & sic legi, Ut in consilijs suis ambulent. quasi dicat: Quoniam consilijs meis acquiescere noluerunt, dimisi eos, ut sua consilia sequantur, sint sibi ipsi dii, seq. ipsi tueantur. Hæc scilicet est

1. Si dimittatur simul omnium iustissima obstinatorum & infidelium pœna, & certissima perditio. Quid enim populus à principe, quàm ut dimittatur suis, qui Dei nolit obtemperare consilijs? Quid rursus perditioni uicini, quàm à Deo dimitti, & proprijs ferri consilijs? Si pater dimittat filium obstinatè immergerum, sinatq. eum pro sua libidine, quiduis tentare, quis non intelligit, quid illi sit absque dubio euenturum? Exemplum esto in filio prodigo, **LUC. 15.** Imò hic ipse populus Iudæorum satis hanc ultionem Dei exponit. Quemadmodum enim summa est felicitas, diuinis duci ac protegi: ita cet tiffima est perditio, si nobis ipsis relictis, nostris utamur consilijs. Notandum autem est, quòd non dicit, Et

A dicit, Et dimisi eos in infirmitate, in peccatis, in imperfectione, in ignorantia: sed, In obstinatione cordis eorum. Est autem obstinatio cordis, duricies illa, & pertinax perueritas, quæ nullis nec beneficiis, nec castigationibus flecti, aut emolli potest. quasi dicat: Toties illis peperi, toties recepi in gratiam, toties duriciem hanc cordium eorum bonitate ac beneficentia mea, subinde & patiens agricola. ternis castigationibus uincere conatus sum, sed perpetuo nihil effeci. Sic dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi. Esa. 65. Rom. 10. Et Esa. 1. 6. Grex à pastore. In quo uos percuti ultra? Sic Christus Matth. 23. Quoties uolui congregare filios tuos, sicut galea congregat pullos suos sub alas, & noluitis? Ecce relinquetur uobis domus uestra deserta. In obstinatione Dimittit ergo Deus non infirmos, imperfectos, & subinde cadentes ac delinquentes: sed obstinos, perfidos & audire nolentes.

In consilijs suis ambulant. Duplici nomine perditioni sunt obnoxij, qui à Deo dimittuntur. Primum ob id, quod suis ipsorum sese consilijs perdunt. Sunt enim uanæ & noxiæ humani cordis cogitationes. Id notatur hoc uersu, cum dicit, In consilijs suis ambulant. Vide Prou. 1. Comedent, inquit, fructus uisus suorum, consilijs saturabuntur. Deinde & propterea, quod malitiæ impiorum tam spirituum quam hominum sunt obnoxij. Sic Deut. 31. legimus: Et irascetur furor meus contra eum in die illo, & derelinquam eum, &c. & erit in direptione. Inuenient eum omnia mala, &c. Hoc malum innuitur per sequentes uersus. Non dicit in stultitia, uanitate, libidine, uoluntate, uel temeritate suas, sed, In consilijs suis ambulant. Neque enim de eo loquitur, quod à se dimissi, carnis sese uoluptatibus, ac mundi huius illecebris addixerint, id quod etiam ipsum eos fecisse credibile est: sed quod sapienter sese gesserint, & quod sibipsum rectum uisum sit, fecerint. Quid enim aliud sunt consilia, quam rationes quædam, uel in speciem saltem ad uitandum noxia, & acquirendum utilia sapienter excogitata? Innatum autem est mortalibus, ut plurimum de sapientia, rerumque humanarum pariter ac diuinarum scientia præsumant, ac diuinum quiddam iactent: quod uenenum ex satana est, qui dixit: Eritis sicut dii, scientes bonum & malum. Proinde ubi sibipsum sunt relictæ, fieri nequit, ut non ambulent in suis consilijs. Quoniam autem illa omnino stultitia & diuinæ menti aduersa, præceptum est populo Dei, ne suas sequerentur cogitationes, sed memores essent præceptorum Dei, Num. 15. Et Esa. 65. queritur Dominus, dicens: Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in uia non bona, post cogitationes suas. Ex his consilijs & cogitationibus in speciem bonis orta sunt omnia idololatriæ genera, cum apud gentes, tum apud Iudæos, tum etiam apud Christianos. Rom. 1. inquit Apostolus, Euenerunt in cogitationibus suis. Vide quæ ibi sequuntur. Hæc potissimum consilia intelligit, cum B dicit: In consilijs suis ambulant. In consilijs huiusmodi ambulare, est in sapientia humana ambulare: contra in uerbo ac præceptis Dei ambulare, est in fide & obedientia Dei ambulare. Illud in hoc seculo sapientum, istud stultorum esse iudicatur.

Ambulant. Nec hoc uerbum ociosum est. Non dicit, Suis uis sunt consilijs: sed, Ambulant in consilijs suis. Hoc est, omnem suam uitam, omnem cultum ac religionem, reiecto uerbo Dei, iuxta sua consilia instituerunt. Accidit aliquando, ut etiam pii aliquid proprijs contentur consilijs uerum non ita, ut in illis hæreant: nec ita, ut omnia sua secundum propria exequantur consilia. At impij & obstinati nec in religione, nec in prophanis negocijs aliquid extra propria consilia exequuntur. Etiam ubi uidentur ea facere, quæ Deus præcepit, quoniam illa non ideo, quod à Deo sunt præcepta, nec quomodo sunt præcepta, sed quomodo sunt commoda iuxta seculum, faciunt: certè non in præceptis Dei, sed in suis consilijs ambulant.

Videmus itaque hoc loco, quorum sit, ambulare in proprijs consilijs. Certè non eorum, qui in gratia Dei sunt, uerboque Dei obediunt, sed obstinatorum, & à Deo dimissorum. Clamant hodie ueritatis aduersarij, non dimisisse Christum ecclesiam suam. intelligunt autem de ea, quæ Romanum pontificem pro capite ac summo pontifice agnoscit. Verum ostendant re ipsa se non esse dimissos à Domino. Qua in re? Si uerbo Dei obediunt, & non secundum propria consilia ambulant. Orbis autem testis est, quomodo ambulent.

Vtinam populus meus audiret me, Israel in uis meis ambularet. 13

Quam breui inimicos eorum humiliarem, & super tribulantes eos uerterem manum meam. 14

Osores Domini mentirentur ei, & esset tempus eorum in seculum. 15

Et cibaret eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturarem te. 16

Sic in Ebraeo est, כִּי יִשְׁמַע.

Conueniebat ordinis consequentiæ, ut ea quoque mala adderet, quæ populum à Deo dimissum suisque ipsius consilijs ambulante comitantur, ut etiam ista contestationis portio absolueretur. NATIO. Verum maluit eam partem resumere, & per hanc psalmum concludere, quæ exeperat Israeli omnia bona polliceri, si se audiat, nec dijs alienis adhæreat: qua tamen simul, ut uidebimus, etiam quod desiderari uidetur, satis conspicue includit.

Vtinam populus meus audiret me. Quia dixit, Et non audiuit populus meus uocem meam, & dimisi eos, in consilijs suis ambulat: innuit hoc uersu, quam id sibi doleat, quæque copiat, ut mutata sententia se audiat, inque uis suis ambulet, Vtinam, inquit, populus meus audiret me. Loquitur ad populum, more

more paterni affectus, cui nihil potest esse tristius, quam si cogatur obstinatos & incorrigibiles filios dimittere, eo quod disciplinam & institutionem non admittant: nec rursus latius & iucundius quicquam poterit accidere, quam si morigeri sint filii, auresque habeant ad audiendum. Voluit isto loquutionis genere Propheta *quodammodo* illam Dei exprimere, qua quam optime consilium cupit mortalibus. Ita & Deut. 32. dicentem legimus: Utinam saperent & intelligerent, & nouissima prouiderent. Et Esa. 48. Hæc dicit Dominus Deus tuus, redemptor tuus, sanctus Israel: Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in uia qua ambulas, utinam attenderes mandata mea, fieret sicut flumen pax tua, &c. Talis affectus & in uerbis Christi Luc. 19. exprimitur, ubi sic legimus: Et ut appropinquauit, uidens ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu, &c. Hunc animū exprimunt in ecclesia, qui ueri sunt Christi ministri, quibus summum adfert dolorem, si non sint fidelibus aures audiendi, &c. Sunt autē hic reiiciendæ temerariæ illæ disputationes eorum qui dicunt: Si optat Deus, ut audiatur & unicē obseruetur à populo suo, quis nam prohibere poterit, quo minus si ipse uelit, hoc fiat? Qui ita disputant, summam temeritate culpam inobedientiæ, nostræ deputandam malitiæ, in Deum reiicere conantur.

Israel in uis meis ambularet.) Rectè subiungitur hæc particula. Audire namque Deum, & in uis eius non ambulare, non est audire, sed illudere, Illi demum uerè & ex animo Deum audiunt, qui in uis eius, non in suis ipsorum ambulant.

Est autem in uis Dei ambulare, abnegatis carnis affectibus, & proprijs consilijs, secundū uerbum Dei uiuere. Præscriptū est populo Dei, quid faciat, quidque uitet. Demonstratæ sunt uis, tam in quibus ambulet, quam quas fugiat, ut nō sit opus diuinatione, qua in re Deo gratificari debeamus. Loquutus est patribus in Prophetis, nobis uerò per filium: ille per Apostolos, ut nulla possit esse excusatio illis qui proprijs, non Dei uis ingrediuntur. Sermo Domini, quo uis Dei nobis exposuit, iudicabit nos. Venit ad nos qui ipsa est uia, ueritas & uita. Proposuit hunc nobis cœlestis pater cœlitus, quem audiremus & sequeremur: Qui hunc sequitur, nō proprias, sed Dei uis: nec in tenebris & mendacio ad mortem, sed in luce & ueritate ad uitam ambulabit.

Verf. 14.

Quam breui inimicos eorum humiliarem.) Declarat his uerbis ad finem usque psalmi, qua ratione tantopere optet, ut se audiat Israel, inque uis suis ambulet. Non dicit, Quam magnus & sublimis haberer, quam celebraretur nomen meum in gentibus, &c. sed, Quam breui inimicos eorum humiliarem, &c. Quibus sanè uerbis satis innuit nihil se querere aliud, quam ut consultum sit populo suo. Ponitur ergo tribus istis uersibus utilitas fidei & obedientiæ Deo debitæ. *Verf. 14. & parte 15.* bonum pacis inducitur, cum dicit: Quam breui inimicos eorum humiliarem? &c. Innuitur, ob id esse pressum ab hostibus Israel, quod à Deo dimissus, hoc est, diuino auxilio destitutus esset. Ergo hinc pax est ab hostibus, si non nostris uiribus confisi, nos ipsi defendere conemur, *Pax ab hostibus.* sed manu Dei humiliatis & contritis hostibus seruemur: ubi tamen non excluditur nostra opera, sed omnis omnium conatum ac uirium nostrarum effectus soli Deo adscribitur. Impiorum uox est, Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia. Contrā pij dicunt, Non manus nostra, nec gladius noster: sed, Brachium tuum Domine, &c.

Verf. 15.

Ofores Domini mentirentur ei.) Hoc est, uicti adularētur & ad blandirentur ei, sicuti solet uictoribus usuuenire à uictis. Hac de re uide supra Psalm. 18. uers. 44. & Psalm. 66. uers. 3. Notandum autem est, quomodo uocet hostes Israel. Primum uocat eos inimicos, deinde tribulantes, tertio ofores Dei, & quartò cum dicit, Inimicos eorum humiliarem, innuit eos fuisse arrogantes ac superbos. Dat ergo illis quatuor mala, quæ certè Deo placere non possunt: nempe inimicitiam erga populum etiam si peccatorem, tamen populum Dei: superbiam & fastum, oppressionem populi Dei, & impietatem maximam, qua suum & omnium creatorem odio prosequerentur. Horū consideratio auget spem consequendi contra impios auxilij Dei, modò conuertamur ad Deum nostrum.

Verf. ult.

Et esset tempus eorum in seculum.) Hoc est alterum bonum: nempe constans, quieta ac diuturna terra sanctæ inhabitatio. Sic Psalm. 37. dicit, Iusti autem hæreditariò possidebunt terram, & habitabunt in seculum super eam. Innuit ergo futurum, ut citò de terra illa pellantur, propterea quod uocem suam non audiant, id quod Deut. 4. Moses illis est minatus, dicens: Testes in uoco cœlum & terram, citò perituros uos esse de terra, quam transito Iordane possessuri estis. Non habitabit in ea longo tempore, sed delebit uos Dominus, &c. Promiserat quidem Abraham Genes. 17. quod daturus esset ipsi ac semini eius terram Cœnaan in possessionem æternam: uerum adiecerat, si seruarent pactum. Quoniam igitur in fœdere non permanserunt, rectè factum est, ut de terra illa eijcerentur, & tempus habitationis eorum decurtaretur.

Et cibasset illum ex adipe frumenti.) Hoc tertium bonum est: nempe maxima rerum necessariorum copia. Per adipem frumenti & mel ex petra, terræ illius fertilitatem ex benedictione Domini datam exprimit. Lautities est & herou cibus, uesci adipe, id est, interiore ac pinguiore medulla frumenti. Nec id parcè ac tenaciter, sed largissimè & ad saturitatem usque. Sic dicit: Et de petra melle saturarem te. Loquitur secundum cōditionem eius regionis, in cuius solitudine ac saltibus mel & rupibus optimum colligitur. Sic Deut. 32. Constituit eum, inquit, super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo, butyrū de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum & arctum filiorum Basan, & hircos, cum medulla tritici, & sanguinem uuæ biberent meracissimum. Ergo, ut famis malum est ex inobedientia & rebellionē ita

Alione: ita copia rerum necessariarum ex eo est, si uocem Dei audiamus, inq: uis eius ambulemus. Sunt hæc bona, pax, diuturna & quieta habitatio, & rerum abundantia, terrena quidem & fluxa, uerum uitæ huic nostræ necessaria, ideoq: non contemnenda Dei dona, à quo omne bonum descendit. Promittit ista populo suo Deus, si se audiat, & in uis suis ambulet, non quod temporarijs illum duntaxat bonis fœlicem uelit reddere in hac uita, cum sit Deus suorum non in hoc tantum sed & in futuro seculo: sed quod ita uelit suam declarare magnificentiam, bonitatem, & largitatem. Hoc tamen exigitur, ut terrena bona præ spiritualibus & æternis non appetamus, nec in illis conquiescamus, nec horum gratia Deo seruiamus, neq: saturati Deo rebellemus, dicentes: Quis est Deus? sed cum primis regnum Dei, & iusticiam eius quæramus: certi etiam huius uitæ bona non defutura, quantum necesse est, regni Dei studiosis.

Deinde, si placet terrenæ pacis quies & commoditas, cogitemus quantum sit ueræ ac sempiternæ pacis bonum. Si placet terrenæ huius habitationis immota constantia & securitas, cogitemus quantum sit bonum cœlestis mansionis, unde nunquam eiiciemur. Si arridet terreni uictus copia, cogitemus quàm sit appetenda spiritualis illa alimonia, qua filij Dei, in Christum credentes, omnium iuuuissimè pascuntur. Hæc omnia nobis per Christum offeruntur, si illum audiamus & sequamur. Hic est enim pax nostra, Ephes. secundo, in quo satanam, mundum, peccatum & mortem uincimus: per hunc cœlestem patriam perpetuò inhabitabimus, huius carne ac sanguine multo suauius quàm frumento & melle, idq: in uitam æternam, pascimur.

Ioann. 6.

PSALMV S LXXXII

PSALMV S ASAPH.

Argumentum psalmi.

Totus hic psalmus nihil agit aliud, quàm ut iudices & magistratus populi Dei, de iniustis & iniquis iudicijs reprehendat, ac muneris ipsorum admoneat: ut quod huius gratia in populo Dei dicuntur, re ipsa & candidè, ut par est, præstent.

Dispositio Psalmi.

Sunt autem tres illius partes. Prima & tertia, primo ac postremo uersibus, Prophetæ uerba habent: altera uerò Dei contestationem ad ipsos iudices, uersibus 2. 3. 4. 5. 6. & 7. continet. Prima admonet Prophetæ, Deum esse in senatu potentum, inq: medio deorum iudicare. Secunda Deum inducit, iniquos iudices ac magistratus reprehendentem, & ad hoc, ut iustè iudicent, adhortantem. Tertia Deum exultat, ut ipse terram iudicet.

Vfus Psalmi.

Credibile uerò est hunc Psalmum singulari usu fuisse in populo Israelis: & ad hoc compositum, ut uel nouis magistratibus ac iudicibus, uel iam iam ad iudicandum confessoris, præcineretur. Neq: enim uerisimile est illam sine causa factum, uel non suo loco usurpatum. Et hodie quoque quis dubitat plurimum conuenire, ut nostri magistratus ac iudices Ecclesiastica religione ac disciplina, uel hoc uel simili aliquo psalmo officij sui admoneantur, quoties siue noui creantur, siue ad iudicandum conueniunt? Sunt enim & ipsi homines. & si seculum hoc præsens respicias, non minus rationis est, ob quam id fiat, quàm tum in Israele fuisse sacræ historie & prophetica scripta docent. Peculiaris est hæc magistratibus ac iudicibus insolentia, ut non solum de potestate, quam diuinitus acceperunt, nimium præsumant, illaq: pro libidine abutantur, sed & ægerrimè de officio suo admoneri sustineant. Vnde & factum est, ut etiam si omnia habeant huius seculi principes, uno tamen hoc careant, quo cum primis opus habent: nempe, ut de ueritate cognoscenda, deq: iusticia exequenda, & de erratis emendandis admoneantur. Rectè itaque, & procul dubio ex spiritus sancti consilio factum est, ut uel in ecclesiastica congregatione, ubi nec magistratus, nec subditorum, nec domini, nec serui ullum debet esse discrimen, Ecclesiasticis admonitionibus in uia retineantur, & si quid delictum sit, corripiantur. Nisi enim hoc sit, quid reliquum erit, nisi ut planè efferati absque ullo iusticiæ præscripto, sineq: omni pietate ac religione, omnia confundant ac peruertant? Inuenias hodie magistratus, qui ita nolint Ecclesiasticis admoneri ac reprehendi concionibus, ut ministros uerbi, si id pro officio suo faciant, seditionis arguant, & uel in periculum uocent, uel prorsus pellant, cum uerius ij seditionis ac perturbationis publicæ argui debeant, qui ad uitia & delicta magistratus conuiuent, uulgaria tantum reprehendunt. Primum enim, quantum in ipsis est causam dant magistratibus, ut in eo quod iniquè præsumunt, absque ulla resipiscencia pergant, adeoq: plebis in se animos magis atque magis irriterent. Deinde eo ipso quod ad magistratus iniquos muti sunt, cum in se, tum in magistratus præfactos plebem exasperant. Tertiò Deum quoque exacerbant, ut iram suam hoc citius cum in magistratus, tum canes mutos, effundat. Hi demum certè noxij sunt, non qui utrinque & magistratus & plebes delinquentes iuxta

uerbi Dei præscriptum arguunt & reprehendunt: sed qui uel in magistratus tantum,

populi applausum uenientes, inuehunt, uel in populum tantum seueriter feruntur, ut magistratibus gratificentur.

Sed uideamus ipsum Psalmum.